(6)

Obiectio ~~Patrum~~ aliquorum ~~[illegible]~~ circa materiam de confessione aduersus P. Franciscum Suarez de Societate Iesu & responsio eius dem, ad S. D. N. Clementem VIII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Ut obiectio & responsio melius comprehendantur statum causæ seu factum ipsum prius proponam deinde obiectionem ac tandem responsionem explicabo. Cum nonnulli (ut aiunt) abuterentur nonnullorum Doctorum opinione, qui dixerunt inter sacerdotem & pœnitentem absentes, ac loco distantes posse pœnitentiæ sacramentum per literas vel internuncium celebrari S. D. N. ut huic malo mederetur contra sententiam illam sapientissime ac prudentissime hoc edidit decretum. Re matura ac diligenter considerata, hanc propositionem. scilicet licere per literas seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus ut falsam temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit praecepit ne deinceps ista propositio publicis priuatis, ve lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur ne ve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur.

Postquam autem hoc decretum Romæ promulgatum est, intra breue tempus scilicet sexta die septembris eius dem anni 602. ad manus meas peruenit Conimbricæ ubi degebam. Quo eodem tempore quartum de Pœnitentia tomum typis mandabam, eamque finitam impressionem habebam libros que per Castellam & Lusitaniam distribuere inceperam & licet liber nondum esset alijs communicatus, eo quod eius initium non esset ~~impressum~~ excusum

totum intra biduum perficiendum & euulgandum erat.

Recepto autem Pontificio mandato quamuis opinionem, quam ipse damnabat ego etiam in meo libro reprobarem & quam ipse approbauit, ego amplecterer, quia tamen necessarium fuit gradum certitudinis a S.mo declaratum nostris scriptis adiungere, id quanta potui fidelitate obedientia, ac celeritate praestiti in disput. 18. sect. 3. eiusdem tomi, ita ut liber ad nullius manus perueniret nisi iuxta Pontificium mandatum emendatus. Contigit autem ut inferius in eodem libro disput. 21. sect. 4 quaestionem aliam longe diuersam disputarem, An scilicet absolui possit infirmus, qui cum confessionem postulasset & signa poenitentiae edidisset, prius sensum omnem amisit, quam sacerdos ad illius praesentiam peruenisset. In qua quaestione sententia mea fuit absoluendum esse huiusmodi aegrotum a sacerdote praesente ex testimonio nuncij & circumstantium, quando sacerdos praesens nullum nouum poenitentiae signum ab eo potest obtinere propter aegritudinis impedimentum, & instantem necessitatem. Quia uero in eo casu uidebatur ex parte poenitentis facta confessio in absentia sacerdotis + ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ decretum Pontificium huic nostrae ~~mento~~ resolutioni repugnare, illud his uerbis interpretatus sum. Existimo tamen non fuisse mentem Sanctissimi de hac opinione tractare, sed solum de illa, quae dicit sacramentum poenitentiae posse perfici, ac consummari inter absentes: atque ita illam particulam, et, non esse diuisiuam sed copulatiuam sumendam: & praecipue illud damnasse propter eos qui dicebant absolutionem posse dari in absentia. Moueor tum ex circumstantijs literae; nam, si aliud uoluisset, potius id explicasset per particulam, uel, Item hoc clare indicat illud singulare signum demonstratiuum. Hanc propositionem, nam ex eo constat, solam hypotheticam propositionem per modum unius damnari. tum praeterea quia illa erat controuersia de qua tractabatur

[margin: + vnde timeri poterat ne ex hac parte]

tum

Tum deniq[ue] quia illa sola opinio est aliena ab usu Ecclesiae: Haec tamen illi est & decretis conformis. Nihilominus declaratio in hoc, quam in caeteris operibus meis continentur.

Contra hanc igitur interpretationem obiectio ~~[illegible]~~ aliquorum extat quae me partim male doctrinae partim audaciae vel imprudentiae reprehendunt. Primo enim obiiciunt, quia si Pontifex de confessione & absolutione coniunctim loquutus est, sequitur, absolutionem solam posse dari poenitenti absenti, qui prius confessus fuit in praesentia sacerdotis & casu aliquo sine absolutione recessit, ut quidam dixerunt posse fieri quando sacerdos invalide absolvit ex defectu iurisdictionis, nam obtenta postea iurisdictione putabant posse iterum dari absolutionem validam poenitenti absenti, & nihil de re illa cogitanti. At hoc consequens absurdum, ergo & nostra interpretatio. Sequela patet, quia tunc non ministratur totum sacramentum ut constans ex utraque parte personae absenti sed tantum altera pars quae non est prohibitum per decretum Pontificium iuxta meam interpretationem. Secundo obiiciunt etiamsi expositio probabilis esset non debuisse me illam evulgare inconsulto Pontifice, cum illius sit legem interpretari cuius est condere.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Ut nostra responsio evidentior sit, aperiam prius fundamentum & radicem utriusque obiectionis: deinde utrique facillime et ut spero plenissime satisfaciam ac tandem omni animi submissione ac humilitate Sanctitatis Vestrae iudicium, & iustitiam simul cum favore & gratia efflagitabo. ~~[illegible]~~ aliqui ex modernis theologis ~~[illegible]~~ male ferunt sententiam illam asserentem in casu illo extremae necessitatis absolvendum esse poenitentem infirmantem: eo quod pauci, & non admodum antiqui ~~[illegible]~~ scriptores eam non duxerint ad mittendam quorum praecipui sunt Soto in 4. & Cano in relectione de poenitentia. Qui quoad hanc partem non fundantur in eo quod poenitens sit absens quando confitetur, sed in hoc potius quia putaret nullam ibi intervenire confessionem, vel non sufficientem: quia sola signa contritionis vel non sunt confessio vel adeo generalis ut ad absolutionem non sufficiat. Igitur ut hanc suam sententiam mordicus defendat interpretationem nostram

Arguere conati sunt, sic enim obtinere putant Ut ex hoc decretum sententia illorum confirmata esse videatur.

Ego vero priorem quam tenui sententiam nonsolum communem Doctorum Verumetiam certam & Ecclesiasticam doctrinam esse censeo cuius que fundamenta inbreuem summam hic redigam. Ut constet mani feste quam fuerit necessaria nostra interpretatio: Fundamenta igitur sunt imprimis grauium Doctorum authoritas ex quibus retuli in dicto tomo 4. Scotum siluestrum, Angelum, Cordubam, & Cardinalem toletum cisque nunc addo D. Tho. opus. cul. l. 9. c. de sacram.to unctionis ibi sic inquit, si infirmus quipetit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam antequam sacerdos veniret adeum: nihilominus ungat eum sacerdos, qui intali casu debet etiam bapticari & apeccatis absolui Ut extra de baptismo cap. ma.s Medina, cod. deconfessione ttt.o 2. q. deabsolut. ab oblitis in fine D. Antoninus p. 1. 3. p. tt.o 10. c. 2. Fabium in scrutinio sacerdotali 2. p. tt.u 4. Hostiensem in summa lib. 5. titu. de Penitentia & remiss. §. quando confitendum Astensem in summa p. 2. lib. 5. tt.o 16. Versus finem Quidonem manipulo Confessorum tract. 11. p. 4. c. 9. in Venetica impressione anni 148. Driedonem de captiuit & redempt. generi human. tract. 4. c. 2 p. 8. membr. 1. Ruardum a. 3. contra lutherum §. complectitur & ex senpribus societatis. preter Cardinalem toletum idem sentit Cardinalis Bellarminus tomo 3. controuersiorum iuxta Veterem editionem lib. 2 de effectu sacramentorum

sacram.

Sacram. cap. 8. Ratione 1.ª Gregorius de Valentia 3. p. disp. 7. q. 11. puncto 1.º §. Primus casus Gabriel Vazquez 1. 2.ª disp. 62. c. 7. nu. 40.

Praecipuum vero huius doctrinae fundamentum est Pontificum, ac Conciliorum diffinitio & declaratio. Praecipua omnium est Leonis Primi in Epist. 89. alias 91. cuius verba retulit Gratianus in c. His qui. 26. q. 6. Et alius in cap. Multiplex de Poenit. d. 1.ª qui textus integre legendus est nam ex principio illius manifeste constat Pontificem loqui de Sacramento Poenitentiae & absolutione sacerdotis sic enim inquit. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam sed etiam per Paenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae: Ut qui regenerationis donu violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent: sic diuinae bonitatis praesidijs ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationib. sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Jesus Christus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut confitentibus paenitentiae satisfacionem darent, & eadem salubri satisfacione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Postea vero prosequitur docens remedium hoc paenitentiae durante hac vita esse recipiendum. Nam qui manens in corpore (ait) illud non receperit, consequi ex eius carne non poterit. At vero durante vita in quacumque necessitatis instantia, in quocumque repentino mortis periculo dicit esse ministrandum, etiam si amisso vocis officio, per sola indicia integri sensus postuletur. Ac tandem concludit, Quod si aegritudine aliqua ita fuerint grauati, ut quod paulo ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & paenitentiae & reconciliationis beneficium

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Consequantur. Constat igitur nomine Poenitentiae & reconcilia-
tionis, sic intelligere Leonem sacerdotis absolutionem. Quam enim
aliam poenitentiam aut reconciliationem potest homo nihil sentiens, neq
intelligens consequi a Sacerdote? Neq enim potest sacerdos
praebere infirmo internum dolorem, aut personalem (ut sic dicam)
Paenitentiam; ergo debet conferre sacramentalem, quae ex parte
sacerdotis nihil aliud est quam absolutio. sacerdos etiam sup-
posito baptismo, non aliter reconciliat hominem Deo efficaciter
nisi absoluendo illum. Et forte Paulus propter hanc potestatem sa-
cerdotium dixit. 2. Corint. 5. Posuit in nobis verbum
reconciliationis & iterum, Dedit enim nobis ministerium reconci-
liationis. Quamvis enim haec de verbo & ministerio praedicandi
reconciliationem factam per Christum soleant exponi: recte ta-
men de verbo & ministerio sacramentali etiam intelliguntur, & in
praesenti non habet locum prior reconciliandi modus quia persona
in tali necessitate constituta non est capax praedicationis. Loquitur
ergo Pontifex de efficaci reconciliatione per absolutionem a peccatis

Nullo ergo modo potest hic textus de reconciliatione cum
Ecclesia, quae fit per absolutionem ab excommunicatione, declarari ut
quidam volunt. tum quia expresse loquitur Pontifex de re-
conciliatione ad Deum quam indiget homo praecise ratione lapsus
post baptismum. Unde cum proportione hanc reconciliationem cum
illa quae per baptismum fit comparat; etiam quia Pontifex ge-
neraliter loquitur de quocumq lapso post baptismum, & indigente
paenitentia & non tantum de excommunicato. tum deniq quia dicit,
eum qui a praesenti vita excedit prius quam ad constituta remedia
perueniat, non posse post hanc vitam consequi, quod manens in corpo-
re non accepit: at uero absolutio ab excommunicatione potest
suo modo etiam post mortem dari, cap. A nobis. 2. de sent. excomu.

non-

Non ergo loquitur Leo Papa de absolutione censura & eisdem rationib. facile refelluntur, quia ad poenitentiam solemnem seu publicam & cerimonialem tantum haec verba detorquent. Quia si etiam solemnis poenitentiae remissio non erat indifferenter necessaria omnibus lapsis sicut est sacramentalis reconciliatio sacerdotis: & praesertim non est necessaria ad reconciliationem cum Deo, neque per se servat illam proportionem cum baptismo quam ibi Leo diligenter expendit, possitque in rigore etiam post mortem concedi his qui signa contritionis prius exhibuerunt. Ac denique non dixisset, omnes admitti ad hanc poenitentiam & reconciliationem in quocumque tempore suae vitae, etiam extremo: quia Ecclesia est benigna, aut misericors; sed dixit, quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire apud quem nullas patitur veniae moras vera conversio ~

Tandem ob easdem rationes audiendi non sunt qui cum fateantur loqui Leonem de absolutione sacramentali aiunt non loqui de omnibus fidelibus in hoc art.o necessitatis constitutis & in eo absolutionem cum signis contritionis prius petentibus sed de illis tantum qui prius sacramentaliter confessi fuerant in praesentia sacerdotis & prius quam absolverentur in eas angustias inciderunt.

Nam imprimis haec limitatio nullum in verbis Leonis fundamentum habet. Deinde repugnat aperte eidem sic scribenti.* Unde oportet unumquemque Christianum conscientiae suae habere iudicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, ne dum satisfactionis sibi tempus in fine vitae suae constituit, quia periculose se hac conditione fragilitas & ignorantia humana concludit, ad paucarum horarum se reservet incertum. Et cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio poenitentis vel reconciliatio sacerdotis. Ubi evidenter loquitur generatim & indifferenter de omnibus peccatoribus & specialius

* in originali epistola.

C. C.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

De his, qui totam Penitentiam, etiam Contritionem & confessionem
Usque ad finem Vitæ differunt. De quib[us] concludit Verum est
dixi) etiam talium necessitati ita auxiliandum Ut neque actio illis
pænitentiæ, neque communionis gratia denegetur, si eam ~~[illegible]~~ etiam
amisso Vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobentur.
et postea subiungit Verba supra citata quibus hoc negocium Urget
ad eum casum in quo talia signa non dantur in præsentia Sacerdotis
& tunc ait astantium testimonia, sic pœnitentibus prodesse debere
Ut pœnitentiæ & reconciliationis consequatur beneficium.
Est ergo clara & indubitata magni Leonis definitio cui aliaque plura de
creta concordant, quæ in dicto loco. 4. tomi retuli. Sententiam
Vero Augustini hic prætermittere non possum. Lib. 1º. de Adulterin.
coniugiis c. Ulti. Ubi cum dixisset loquens de adulteris Cum sol
uos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, ta
men si desperati, & intra se Penitentes iacuerint, neque pro se respon
dere potuerint baptizandos puto, Ut etiam hoc peccatum cum cæ
teris lauacro regenerationis abluantur & subdit inferius, Quæ
autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa si forte pæ
nitentem finiendæ Vitæ periculum præoccupauerit. Neque
ipsos enim ex hac Vita sine arrha suæ pacis exire Velle debet
mater Ecclesia. Propter quod Oviedo loco citato dixit, Hæc
est antiqua Ecclesiæ consuetudo ut quam baptismi & pœnitentiæ
seu reconciliationis beneficia etiam eis dantur qui in articulo mortis
sunt Usu vocis, & rationis priuati, si astantium testimoniis constite
rit eos propositum habuisse, & paulo ante postulasse & Cardinalis
6. 6 Toletus dixit expresse hoc docere Canones, indicatque esse pro
priam consuetudinem Ecclesiæ Romanæ dum alegat Sacerdotale
Romanum hoc præcipiens & similem consuetudinem ex Ma
nueli Burgensis refert Corduba. Atque hoc posset esse tertium & suf

ficiens

Sufficiens huius sententiæ fundamentum, sumptum nimirum Ecclesiæ consuetu-
dine quæ & dictorum Patrum & Doctorum testimonio comprobatur,
& ipso rerum usu & experimento ferenstacit.

Ultimum huius veritatis fundamentum ex ratione petendum: sed
quia hæc respondet ex Christi institutione per Ecclesiam proposita
& declarata, tota ratio quæ in hac materia reddi potest reducitur ad
prædicta decreta & traditionem Ecclesiæ ita explicatam po-
testatem a Christo datam. Ut autem hæc ratio magis declaretur
respondendum est ad rationem quæ Doctores aliter sententes movit
scilicet in eo casu non intervenire confessionem ideoque neque posse abso-
lutionem dari. Dixerunt ergo aliqui ut Ruardus refert,
essentiam sacramenti pœnitentiæ in sola absolutione consistere & ideo
licet per se & ordinarie confessionem requirat, in extrema necessitate
posse sine illa ministrari. Quod si hæc sententia vera esset, facile ne-
gotio expediremus difficultatem aliam ex novo decreto S. D. N.
Clementis VIII. subortam. Nam si in hoc casu nulla præcedit con-
fesio, dici potest confessio facta in absentia sacerdotis, sed potius ob illius absentiam nullam
confessionem esse factam & nihilominus ob necessitatem dari hoc sa-
cramentum per solam absolutionem. Absit tamen ut quis ita putet
S.mi D. N.ri Nostri decretum cogere nos, ut vel a Leonis Pontificis sa-
recedamus, vel in hanc nonminus periculosam scyllam incidamus. Sa-
enim hæc absurda est & a decretis Conciliorum, & ratione omnino aliena.
Tum quia sacramentum novæ legis constare non potest sine materia
& forma iuxta doctrinam Concilij Florentini. Confessio autem est mate-
ria sacramenti pœnitentiæ iuxta doctrinam eiusdem Concilij &
Tridentini: estque maxime necessaria quia interior contritio sine exte-
riori confessione non potest componere sacramentum sensibile. Tum
etiam quia hoc sacramentum perficitur per modum iudicij: ubi autem accu-
satio non præcedit non potest perfici iudicium, neque vera sententia profe-
rri

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Igitur sim pro dicto casu vere potest dari absolutio ut re vera potest iuxta definitionem Leonis necesse est ut intelligatur supponi sufficiens confessio.

Quod autem hoc ita sit, declaratur in hunc modum. Nam duplici ex capite existimari potest non procedere ibi sufficientem confessionem. Primo quia solum fit in generali de peccatis: nam qui solum petit confessionem & in articulo paenitentiae probet licet significet se peccasse nullum tamen peccatum in specie indicat. Illa autem generalis accusatio non videtur sufficiens materia huius sacramenti. Atque ita videntur sensisse Soto & Cano, caeterique moderni, qui proinde non fundantur in hoc, quod confessio fit in absentia sacerdotis (nullus enim fere est qui hac ratione in praesenti utatur) sed solum in generalitate materiae. Quapropter si aegrotus ostenderet dolorem alicuius peccati in particulari, non haberet locum haec ratio, & procederet definitio S[ti] Leonis. Veruntamen quia Leo Papa absolute & indefinite loquitur de signis paenitentiae, dicendum est illam confessionem generalem in eo casu esse sufficientem materiam quia est vera accusatio & manifestatio dolorosa conscientiae. & licet tunc non sit de omnibus peccatis in specie, est formaliter integra quia est quanta esse potest in illo articulo ut late in praedicto tomo 4. ostendi. Secundo ergo potest illa confessio reputari insufficiens quia non est facta in praesentia sacerdotis, & hoc contendunt nostri adversarii & delatores. Sed hi pugnant aperte definitioni Leonis, qui confessionem illam sic factam sufficientem existimavit. Quare posset quis plane negare illam fieri omnino in absentia sacerdotis: quia licet in principio quando aeger ille exhibet signa sacerdos cum ipso non adsit. postea prius quam absolvat paenitentem habet illum praesentem, & examinat quantum potest illius dispositionem, & inquirit an fer-

posset

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Posset aliquid percipere, & intelligi: perquam diligentiam videtur quasi consummari confessio inpraesentia sacerdotis. Atque ita iuxta hanc interpretationem non esset necessarium aliam declarationem adhibere ad decretum. S.mi D. N. quia iuxta illam neque confessio ~~nec~~ neque absolutio fit in absentia sacerdotis. Veruntamen haec consideratio est optima ad declarandum quomodo sacerdos in eo casu legitime secommunice Vtatur explicet confessionem inpraesentia quia examen illud & inquisitio, quam sacerdos facit inpraesentia aegroti non est confessio quia ex vi illius nihil denuo poenitens declarat. Unde Leo Papa inpraedicta epistola aperte supponit aegrotum nullum poenitentiae signum dare inpraesentia sacerdotis: quod supponit nullam confessionem facere inpraesentia sacerdotis quia sacramentalis confesio est quoddam signum sensibile peccati commissi & poenitentiae interioris. R.

Hinc tandem concluditur, quam fuerit necessaria nostra declaratio data ad decretum S. D. N. Clementis VIII. quia non eo[sset] alia via redigi in concordiam cum decreto Leonis certum est autem illa duo decreta neque esse neque esse posse inter se contraria. Quam vere fuerit illa declaratio conformi intentioni & verbis S. D. N. in ipsomet libro sufficienter ut ex illim.o explicavi. 1.o ex statu causae & occasione quam S. D. N. Clemens habuit ad pronuntiandum hoc tempore illud decretum. Secundo ex verbis quia non est usus particula disiunctiva, Vel, sed coniunctiva, et. & non in plurali, sed in singulari damnat propositionem illam hypotheticam, licere confessionem, & absolutionem fieri inter absentes, tertio ex fundamento quod in utroque casu est longe diversum, nam absolvere absentem est sine authoritate Ecclesiae, & contra usum

R. Ut ergo confessio verè fiat in praesentia sacerdotis, oportet ut poenitens ipse in praesentia sacerdotis per verba vel alio mutus signum aliquod suae conscientiae, & accusationis exhibeat. Nec satis est quod circumstantes praebeant testimonium signi prius exhibiti, ut dicatur poenitens confiteri in praesentia sacerdotis, cum quidem non sunt circumstantes qui confessionem faciunt, sed infirmus per illos: confessio autem est actus hominis utentis iudicio & ratione, quem usum non habet infirmus (ut supponitur) in praesentia sacerdotis: & ideo dici non potest in eius praesentia confiteri. Nam quidquid facere potuit, id fecit in absentia confessoris: illud autem est quod habet ibi rationem confessionis, seu quod constituit testimonium seu relationem aliquam in ratione confessionis. Tum etiam quia non est necessarium ut circumstantes dent testimonium in praesentia aegroti: quid enim si aliqui incedentes per viam, hominem agentem animam, & postulantem confessionem, & exhibentem poenitentiae signa inveniant, & pervenientes ad oppidum, clericum mittant, qui ab eo aliquam maiorem confessionem extorqueat, si poterit, sin minus absolvat? numquid in eo casu sacerdos ad aegrotum perveniens, & nullum novum testimonium aut signum reperiens, non poterit illum absolvere? plane poterit, quia quod testes praesentes adsint absolutioni, impertinens est. Ergo tunc illa confessio nullo modo potest dici facta in praesentia sacerdotis: quia nec signa infirmi, nec testificatio circumstantium facta sunt in praesentia sacerdotis. Cogimur ergo fateri hoc non esse contra substantiam sacramenti, nec intrinsece malum aut prohibitum. Licemus, ut in citato loco adnotavi, secluso simili casu necessitatis extremae, grave peccatum sit his vel similibus modis extraordinariis uti ad confessionem faciendam, etiam si absolutio a sacerdote praesente conferenda sit. Quam ob rem absurdissimum existimavi S.mo D. N.ro Clementi imponere quod in eo casu confessionem sacerdoti praesenti fieri existimaverit.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Cuius absoluere autem praesentem aegrotum in illo casu, est iuxta sacros canones, & secundum ecclesiae usum. Item absoluere absentem est contra debitum modum ministrandi sacramentum, quia non potest tunc constare sacerdoti an poenitens perseueret in debita dispositione, neque an denuo peccauerit imo neque an sit viuus: quando autem absoluit praesentem de omnibus his sit moralis certus & per se ipsum examinat causam quantum potest. Quod autem non possit notitiam conscientiae habere per actionem, aut verba ipsius ipsius poenitentis, sed circumstantium, non obstat veritati sacramenti, quando alius modus possibilis non est, ut canones declarant. & hoc idem contingit in confessione, quae fit per interpretem, quam constat esse sufficientem: tunc enim confessor totam notitiam de conscientia poenitentis comparat per testimonium interpretis, & non immediate ab ipso poenitente. Quid ergo mirum quod in praesenti simile testimonium sufficiat?

Unde et facile obiectio soluitur quae primo loco fiebat inferendo ex nostra interpretatione sequi absolutionem posse dari poenitenti absenti si sola detur propter supposita confessione facta in praesentia. Respondetur enim negando sequellam: nam si uera consequens illud falsum est & contra mentem Pontificis & ad hoc significandum, & facile excludendam hanc doctrinam, addidi in meo libro illa verba: & praecipue illud damnare propter eos qui dicebant absolutionem posse dari in absentia. Quamuis enim Pontifex formaliter & expresse solum loquatur de solo sacramento poenitentiae, ut constante ex confessione & absolutione: considerandum est tamen, fundamentum & totalis ratio illius resolutionis, quae est quia forma absolutionis non potest vere cadere in absentem: quae ratio locum habet in sola absolut-

quantumuis

quantumuis supponatur confessio præcessisse. Deinde addo casum illum non esse moralem, & inuoluere quandam repugnantiam. Nam licet aliqua confessio præcesserit in præsentia non potest illa esse materia sufficiens absolutionis dandæ personæ absenti. Quia necesse est ut notabile aliquod tempus intercedat inter confessionem prius in præsentia factam, & absolutionem postea dandam absenti: ergo iam ratione illius temporis confessio præcedens non est materia integra, ut mea posit cadere absolutio. Nam in eo tempore potuit valde mutari conscientia & dispositio pœnitentis: quomodo ergo potest Iudex proferre sententiam ex qua præcedentis accusationis, cum ad absoluendum reum necessarium sit iudicare ipsum esse dispositum & capacem absolutionis eo tempore, ac momento quo ille confitetur. At vero quoties absoluitur pœnitens a sacerdote præsente, sacerdos prius comparat notitiam de dispositione pœnitentis usque ad illud tempus, & examinat quantum potest non solum an prius confessionem postulauerit, & signa pœnitentiæ dederit, sed etiam quod in ea dispositione amisit iudicium ac sensum, ac adeo certius moraliter redditur, quantum necessitas patitur in illa dispositione perseuerare est ergo ratio longe diuersa.

Superest ut alteri parti obiectionis satisfaciamus, in qua non doctrina sed prudentia nostra redarguitur & ideo minus necessaria videri posset responsio: tamen ut in genere synceritatem animi nostri aperiamus, eam omnino ~~pr~~ præter mittere noluimus. Imprimis ergo neque cogitaui, neque animaduerti sane potuisse esse materiam alicuius offensionis tum quia semper existimaui esse munus proprium publici Doctoris & scriptoris Pontificia decreta, & leges Principum, sicut alia decreta. L. Leges interpretari, quando id specialiter prohibitum non est: in hoc autem decreto id non inueni prohibitum. Tum etiam quia ita est frequenti usu receptum, ut etiam viuente Pontifice decreta eius, ipso in consulto a Doctoribus exponantur ut constat de Bulla cœnæ & de constitutionibus factis de illegitimis, de abortibus, de agitatione taurorum, de muneribus a religiosis non conferendis

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

& similibus, & ut alios omittam, D. Nauarrus inter sua opera
plures habet huiusmodi commentarios & præcipue in secundo tomo
in fine late exponit extrauagantem Gregorij XIII. de datis &
promissis præmittens hæc verba subijciens Omniaque cumque
dixero eiusdem S. D. Nostri (quæ summa est censuræ)
quibus profecto dissimilia non sunt quæ post meam interpretationem
ego subiunxi dicens. Declarationem hanc eiusdem Pontificis
censuræ subijcio sicut & cætera omnia quæ tam in hoc quam
in cæteris meis operibus continentur. Cum autem dicitur
illius esse legem interpretari, cuius est condere: vel intelligatur
de interpretatione illa quæ eamdem cum lege authoritatem habitura
est vel de interpretatione quæ casum aliquem excipit a lege
contra verba legis: at vero quando interpretatio & est consentanea ver
bis legis, & aliarum legum vel canonum authoritate iuuatur, ab inter
pretibus dari potest, non expectato legislatoris iudicio. Id enim &
ipsi legislatori esset molestissimum, si in singulis dubitationibus quæ
in eius canonibus occurrunt ad ipsum recurrendum
esset: & vix posset illo modo humana Respublica
gubernari: neque misteria fidei possent a fidelibus Do
ctoribus pertractari.

Addo præterea, quamuis maxime cuperem Romanam sedem con
sulere eiusque responsum expectare priusquam resolutionem hanc,
& interpretationem typis mandarem morali quadam necessitate compul
sum me id nullatenus facere potuisse. Quando enim Pontificis
decretum ad manus meas Conimbricæ peruenit prope
initium mensis Septembris superioris anni totum opus 4.
tomi finitum, & impressum habebam. & per lusitaniam, &
Castellam mitti cœperat, & intra paucos dies distribuendum

~~Coeperunt~~ & intra paucos dies distribuendum erat quoniam ~~[illegible]~~ ab omnibus
expectabatur. Ideoque sine magna infamiae nota, & scandalo etiam retineri
non poterat ut per tres vel quatuor menses nemini communicaretur
eo vel maxime quod iidem ~~[illegible]~~ + censores, qui mihi sane audaciam obijciunt,
Salmanticae, Compostellae, & alijs locis vulgare coeperunt, librum nostrum
ab inquisitoribus detentum, vel prohibitum esse, eo quod censurae Ponti-
ficis contrariam sententiam contineret. Igitur, ut huic malo occurrerem librum
statim vulgare compulsus sum, neque praesentem reprehensionem ~~[illegible]~~
~~[illegible]~~ timui: quia veritas ipsa, & soliditas, ac claritas do-
ctrinae omnem timorem fugavit. Putavique vel eo sinceritatem animi
intelligi posse, quod simpliciter ac confidenter, omnique animi sub-
missione in conspectu Pontificis summi meum sensum proponerem,
eiusdemque iudicio illud submitterem. —

Fran.co Suarez

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA